

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Studium enim Taracini Episcopi fuit, Galerum Cardinalicium ambientis, quem ea occasione per Helvet. interventum facile existimavit posse impetrari, sed ne id quidem confectum arbitrator. Neq; satis de Pont. contenti feruntur omnes, ut à quo munificentiam uberem erga se expectassent. Tuguri, à quibus Biblia cum aliis libris combusta sunt, non satis pacatè degunt & sunt, qui veritatis professionem, nunc minus, quam cum hoc factū, dissimulent, idem fit apud Sedunenſes, ad quorum pastorem hac hora scribo. Sed bene vale, vir ornatiss. in Christo Jesu cum Symmisticis fratribus & Professoribus, quos jubeo salvos. Basl. 3. Jun. Anno 1556.

T. Sulcerus.

XXXVII.

S Potens est Christus Dominus in verbo suo, Vir ornatissime, quia, ut nuper scripsi, de successu Regni Christi in Galliis, ita lætiores in dies nuncii inde adferuntur, maximè verò de regionibus in alpinis, (quas vocant) qui plane sperant pacem se ab hostibus vel ad tempus redempturos. Et procurrit interim Evangelii fides & confessio. Sunt enim in illis valles plures & multa hominum millia, qui Christum palam profitentur. Ministros habent missos è Lausanensi Schola, exules Gallos, viros doctrina pietateque præstantes. Idque ipsorum rogatu, quorum ministerio benedicit Dominus ubertim. Cæna celebrata est palam apud Angrogianos, magna populi frequentia, ad numerum saltem 6000. Concurſus est ad sacras Canticiones ab undecim millibus Italicis, tanta est sitis salutiferæ doctrinæ. Non latent hæc supremum Senatium Taurinensem, quod Parlamentum vocant. Profectus est eo Præsidium unus, cum Senatoribus aliquot, qui partim blanditiis & pollicitationibus, partim minis atrocibus, conati sunt hos populos à recta via & Evangelii professione abducere, sed frustra. Nam ne unus quidem inventus, non mulierculæ, non pueri, qui non responderint, se extrema quæq; potius pati esse paratos, quam ut à Christo servatore suo deficiant. Ac Dominus hac in parte eorum quieti non parum consulit, quod desint in primoribus saltem clancularii suffragatores. Juvanda sunt hæc initia piorum omnium orationibus. Qui has perfert, Vir est singularis doctrinæ & pietatis nomine mihi valde charus & observandus. Vocatus Francofurtum, ut Ecclesiæ Gallicaræ præsit: quod eo nomine impensius factum gaudeo, quod præ multis aliis purius & sincerius de symbolis totoque ministerio Ecclesiæ & sentire & loqui visus est. Commendo eum tibi, eatenus, ut familiarius admittas, & consiliis etiam instruas, ac notitiam in eas cum illo, eumque deinceps foveas; id

H

enim

enim judico frugiferum fore Ecclesiæ. Vale in Christo JESU. Basil. 25 Junii, Anno 1556.

T. Sulcerus.

XXXVIII.

S. D. Reverende vir & carissime Frater.

NON dubito, te quoque crebris gemitibus optare, ut aliquot pii & eruditi de Ecclesiæ vulneribus colloqui possint. Id ut fiat, diu jam Principes quidam moliantur. Quorum etsi consilia impedientur, convenire tamen aliquos privatim necesse erit. Qua de re velim, te mihi & tuum consilium scribere. Nunc autem commendo tibi hunc adolescentem, Sigismundum Prettenholtz, natum in Marchia. Patri ejus auctoritatem prudentia & virtus tantam peperit, ut apud sapientem Principem Marchionem inter præcipuos consiliarios sit. Præcipue autem tuetur doctrinæ studia & fovet Ecclesias. Ipsius etiam Sigismundi natura doctrinarum capax est, & modesta. Auditurus est Sturmium & alios eruditos lectores apud vos, quibus ut eum commendes, te oro. Refert enim scire, qui sint hospites. Optat autem Pater, siceum vobis probari, ut aliquanto post adjungatis ei discipulos aliquos, quos erudiat, aut cum quibus in Galliam proficiatur. Si pater intelliget, vos erga filium officiosos fuisse, majore curâ & ipse ornare Ecclesiam & nostrum gregem tueri studebit. Quare vos oro, ut hunc adolescentem & complectamini, & ornetis. Mitto tibi exemplum enarrationis Epistolæ ad Romanos, quod legas, ut Judex, & judicium mihi tuum significabis. Bene vale. Die Festo Jacobi Apostoli, Anno 1556.

25 Julii

Salutem vobis omnibus opto.

Philippus Melanthon.

XXXIX.

S. Accepi binas tuas, mi suavissime Marpachi, & gratiam habeo pro officio. S. D. Petrum Martyrem ipsi vidimus & convenimus, quem video virum tentationi profecto gravi indulgisse: quando, qui secundo à vobis exul receptus, inque honestum locum constitutus, non ante præterdit, se legibus anterioribus idque contra conscientiam constringi, quam cum locum videret & conditionem apud Tigurinos oblatam. Dominus ergo benè vertat, & affectus impotentiores, qui solus potest, ipse moderetur, benedicatque ecclesiæ, his
tam